

*Concessio Ecclesie sanctae Mariae de Gamundio
monasterio Fructuariensi precibus Gulielmi
marchionis Montisferrati ex autographo.*

49

M C L X I V.

Gulielmus Dei gratia Aquensis Episcopus dilecto fratri suo Rufino Abbati Cenobii Fructuariensis ejuique fratribus universis divino famulatu mancipatis tum presentibus, quam futuris in perpetuum. Placuit reverentissimo patri nostro Alexandro Dei gratia Romanae Ecclesiae summo Pontifici, Domino quoque nostro Oberto Mediolanensi Archiepiscopo interventu precum Gulielmi viri nobilissimi marchionis de Montefarrato rogare nos, & propriis litteris persuadere nobis, quatenus Ecclesiam sanctae Mariae de Gamundio, quae dicitur de curte, quam vobis praefatus Marchio pro Ecclesia vestra de Rocha, quam sorori ejus venerabili contulistis, in permutatione dare pollicitus fuerat, vobis concedere dignemur. Nos igitur attendentes religionem vestram, quam fraterna karitate diligimus, & in Domino plurimum commendamus confisi de auctoritate precum dominorum nostrorum Apostolici videlicet, & Archiepiscopi, precibus quoque Marchionis, & ejus uxoris nobilissimae Comitissae, quas pro hujusmodi re nobis multimodas porrexerunt, quibus in quantum secundum Dominum possumus prompta voluntate obtemperare desideramus libentissime annuentes praefatam Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus vobis, vestrisque successibus concedimus, donamus, & in perpetuum gubernandum committimus, salvo siquidem jure pontificali tam in spiritualibus, quam in temporalibus, sicut inferius distinguemus, ut consecrationem, & ordinationes ibidem servientium Episcopus habeat, Chrisma, & oleum ab eo accipiant, interdicta ejus super universitate, vel specialibus populi personis ejusdem loci facta observent, ad synodum Prior vadat, aut si evidenti necessitate praepeditus fuerit, aliquem de fratribus suis, quem magis idoneum elegerit per se mittat. Et quando pro comuni utilitate cleri, vel populi Gamundium vocatus fuerit Episcopus, in procuratione ejus partem expensarum, quae se contingeret, persolvat, & cum per summum Pontificem ad concilium vocatus fuerit, onus collectae faciendae pro sua portione subeat. Alias vero executiones omnes ad jus nostrum pertinentes intuitu pietatis, & vestre religionis, amore quoque praefati Marchionis, & Comitissae omnino vobis remittimus. Si qua igitur in posterum Ecclesiastica secularive persona nostri fori hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam venire temere temptaverit secundo, tertioque commonita, & legitime citata, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultionis subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiae haec donativa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiat, & apud districtum Judicem aeternae pacis

praemia inveniant Am. Am. Am. factum est hoc VI. id. febr. Ianuae in claustris S. Mariae in Vineis, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, indictione undecima.

Ego Gulielmus Aquensis Episcopus propria manu subscripsi. Ego Octavianus Archipraesb. Casinens. Ego Gulielmus Ecclesiae S. Martini canonicus, & praesbiter. Ego magister Anselmus Ecclesiae sancti Martini de Gamundio clericus. Ego Gulielmus Archipraesb. de Deogo. Ego Manfredus sancti Petri Aquensis Prior. Ego frater Gandulfus Civitatulae dictus Abb. manu propria. Ego Otto Civitatulae dictus Prior manu propria.

*Diploma Friderici Imperatoris Gulielmo
marchioni Montisferrati.*

M C L X I V.

50

In nomine sanctae, & individuae Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, t. c. excellentissima Imperii Romani dignitas abundantia tantae pietatis, atque bonitatis ita semper exuberavit, quod fideles ejus, & in beneficiis pluribus, & in maximis honoribus omni tempore ab ipso inceperunt incrementum, & tamen Imperialis coronae gloriosa magnitudo in suo statu non sensit diminutionem, nec in sua quantitate passa est detrimentum. Ea propter cognoscant universi fideles Imperii per Italiam constituti praesentes, & futuri, quod nos praecleara merita, & magnifica servitia fidelis nostri Vuilielmi illustrissimi Marchionis de Monteferrato in memoria retinentes, & praec oculis habentes quae semper exhibuit fideliter nobis, & Imperio ad augmentum gratiae nostrae concedimus, donamus, & nostra Imperiali auctoritate confirmamus, & per rectum feudum investituram facimus praedicto Marchioni de Monteferrato, & suis haeredibus de castris, & possessionibus, & villis quorum, vel quarum nomina subscripta sunt ista, Uz, Gencianum, Mirabellum, Sarmaza, Turrigia, Guiberron, Terra dominorum de Cella, sanctus Georgius, Torcellum, Munefenge, Scandaliza, Regum, Curcavagni, Cunico, Montellio, Broxolo, Rovorbella, Mercolengo, Coconato, Thonengo, Coconilis, Aramengo, Cerretum, & plebs de Marrate, Craville, Passairanum, Primelli, Scheiranum, Rivalba, Mainle, medietas de Ripa, quae non est Comitibus de Blandrato, Ricrosium, Baldissè, Pavairolus, Monbel della frasca, Zinzanum, Scairanum, Merentinum, sanctus Sebestianus, Montanarium; haec omnia intercedente, & postulante carissima consorte nostra Beatrice, Romanorum Imperatrice augusta, largimur, damus, concedimus, donamus fidei nostro marchioni Vuilielmo de Monteferrato, suisque haeredibus, cum omnibus regalibus, cum omni jure, & honore, & districto, & placito, & utilitate, & cum omni plenitudine, & integritate: Uz in terris cultis, & incultis, silvis, pratis, pascuis, montibus, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, albergariis, ripaticis, pedagiis, teloneis, armianis, & cum omni utilitate, quae ex omnibus iis